QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XX. IANVARII

D. CLAVDIO BOYVIN DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An Peripneumonia Pleuritide periculosior?

MORBORVM omnium vnus & idem modus: Locus verò ipſe differentiam facit, nec minimam in ijs parit varietatem, Sanguis quippe inter humores temperatiſſimus, adeóq; eorũ frænum (qui plurimus vere, paucus autumno gignitur) qualitates obtinet hominis naturę cæteris congruentiores. In venoſo tamen genere, prohibita difflatione, putri feruore æſtuans, Synochum putridã (Cauſo grauiorem) progignit: extra venas ocius putreſcens φλεγμονὴν (calidæ fluxionis ſobolem, ac tumore præter naturam, tanquam præcipuo ſymptomate comitatam) in omnibus ferè partibus cõmittit: Quarum diſſimilitudine differentes ſpecies conſurgunt ex loci natura nuncupationem adeptæ: Nam tenuem cerebri menyngem obſidens, mitiorem necnon tutiorem phrenitidem: Inagnatam oculi tunicam effuſus, Ophthalmiam, diarrhæa ſuccedente ſanabilem: hepar occupans, hepatitidem, ſingultu ſuperueniente lethalem: Renes, nephritidem, inedia (quam pueri ſenibus minùs tolerant) ingraueſcentem parit.

IDEM ſanguis ab ampliore venoſo genere per interiores laterum venas ad membranam coſtis ſubtenſam deturbatus, veram pleuritidem viris quàm mulieribus magis familiarem, necnon autumno & hieme, quàm vere & æſtate frequẽtiorem ſimul & periculoſiorem: in pulmones verò (temperamẽto calidos humidos) quauis occaſione receptus Peripneumoniam (à pituita quàm à bile magis legitimam) mutuato ab affecto loco nomine gignit. Verùm vt à tenui & biliosò ſanguine pleuritis, ſic à pituitoſo & craſſo Peripneumonia frequentior ac tutior exiſtit, Pleuritis enim à melãcholico, vt peripneumonia à bilioſo ſanguine prorſus funeſta. Eiuſmodi verò fluxionibus gignendis haud exigua occaſio eſt tum externus calor fundens, tum frigus exprimens. Fluit repentè ſanguis parti imbecillioris calore aut dolore tractus excretricis robore miſſus: Adiuuant laxitas & amplitudo vaſorum. Prima tamen ac præcipua fluxionum omnium cauſa partis imbecillitas cenſenda eſt.

VERÆ Pleuritidis (noctu quàm interdiu, ac in ſiniſtro quàm dextro latere grauior) dolor lateris νυγματώδης, febris acuta, ſpiratio frequẽs ac difficilis, tuſſis, pulſus paruus, frequens, durus, ac ἐμπρίως: Peripneumoniæ, thoracis ac ſpinæ dolor grauis, febris acutior ac tuſſis moleſtior quàm in pleuritide, Orthopnœa, expiratio calida, malarũ rubor, pulſus mollis, magnus & κυματώδης, notæ cõgenitæ ſunt. Temporum progreſſu humorum vitium detegitur, rubore ſanguinem (cuius putredo bilis putredine deterior) flauitie bilem (obſtructionis minimè parẽtem) albore pituitam, liuore aut nigrore ſuccum terreum prodente. Screatio poſt tuſſim circa initia vtriſque ſalutaris. Sin contra acciderit lethale ſignum vel robuſtiſſimis. In peripneumonia ſputi vel concocti paucitas horrenda eſt. Siccæ & ἄπτυστοι pleuritides periculoſiſſimæ. formidabiles quoq; vbi ſuperiores partes morbus occupat. Omne ſputum quod dolorem non ſoluit prauum: quod ſoluit vtile. Sputum αἱματώδης λίαν ἢ πελιώδης ſtatim initio, periculoſum. Modice vero cruẽtum, vel initio nullo non modo periculi metu, ſed & ita certo ſalutis argumento apparet, vt tum phlebotomiæ nihil relinquatur loci.

FACILIS ſpiratio in omnibus qui acuta febre iactantur magni eſt ad ſalutem momenti: in febribus enim ſpiratio ſubſiſtens malo eſt. Quibus in febribus dolores lateris fiunt, ijs aluo multa aquoſa bile permixta deijciente remiſſio eſt. Sanguinis ſtillatio in peripneumonia vt & pleuritide infauſta: hãc copioſa hæmorrhagia ſalubriter, illã infauſtè iudicat. Qui acidum eructãt, & quibus aluus liberè profluit, raro pleuritide (cum ſpaſmate minus periculoſa) capiuntur. A peripneumonia aut pleuritide habito diarrhæa ſuperueniẽs, lethale. A pleuritide peripneumonia praua, minus tamen quàm quæ ab initio fit. Spaſmata omnia infeſta ſunt, pernicioſiſſima verò quæ circa thoracem accidũt. Pleuritis peripneumoniam ſanat, vt lethargum phrenitis, Lienteriam ructus acidus, Angiuam λαρυγγοτομία, Leucophlegmatiam lõga diarrhæa, Cauſum rigor ſuperueniens: nõ contra. Omnes crurum abſceſſus in grauioribus peripneumonijs, potiſſimum ſputo iam in pus commutato, ſalutares exiſtunt. Ex pleuritide & peripneumonia denſa & exercitata corpora citiùs quàm otioſa intereunt. Ex hac quidem pueri & ſenes celeriùs pereunt. Ab omni verò alia inflammatione iuniores magis periclitantur.

VTRIVSQVE affectus magnitudo remedium celere potenſque efflagitat. Nullũ autem phlebotomia (omnes ex æquo humores euacuante) præſtãtius: quæ ex eodem latere κατ' ἴξιν ſtatim liberaliter celebrata oppreſſas vires roborat, dolores mitigat, febrem extinguit: Proinde pueris, ſenibus, grauidis acuto morbo oppreſsis, haud omnino interdicenda. Tum non negligenda purgatio per enemata vel medicamenta ferè blandiuſcula. In pleuritide verò infera, potiſſimum remittente febre, etiam per vehementiora pharmaca. Sed nec fomenta χαλαστικά ad diaphoreſin, nec balneum ad ἀνωδυνίαν & ſputi maturationem, neque eclegmata bechica ad ἀναχρέμψιν improbanda. Aſtringentibus hîc nihil loci. Victus in principio tenuis, in ſtatu copioſior exhibẽdus. Dolore eiuſmodi remedijs haud cedente, cum lethalibus ſignis, necis, cum ſalutaribus, ſuppurationis (in pulmonibus & hypochõdrijs valde horrendæ) ſubeſt periculũ: Quam quadrageſimo die vel anacatharſi, vel purulento & acri alui fluore, vel copioſa & purulenta vrina, non expurgatam, tabes λαθραίως interimens excipit. Sed haud raro peripneumonia ſymptomatũ magnitudine, virium exolutione, aut præfocatione, celere ac inopinatum adfert exitium.

Ergo Peripneumonia Pleuritide periculoſior.

ASSEREBAT PETRVS COLLIER, LVTETIANVS, Anno ſalutis cIɔ. Ic c.

Domini Doctores diſputaturi.

M. IACOBVS COVSINOT.	*M. PETRVS PIJART.*	*M. IOANNES MARTIN Med. Reg.*
M. PETRVS SEGVIN Prof. Reg.	*M. NICOLAVS IABOT.*	*M. CLAVDIVS BAZIN.*
M. IOANNES DE RENOV.	*M. ANTONIVS DE CAPPES Med. Reg.*	*M. HENRICVS BLACVOD.*


F.M.P. BIBLIOTHÈQUE